

ginem fuisse a parentibus in templum inductam, & Deo oblatam, tum ut persolverent votum, quod emiserant pro illa a Deo impetranda, tum ut ipsorum filia in templo, ad exactius inserviendum Deo, educaretur.

III. Probatur. Ex Sancto Bonaventura opusc. 3. de vita Christi, cujus verba nuper retulimus, & modo iterum recitamus; & verba quidem sunt ipsiusmet B. Virginis, sic alloquentis: *Cum Pater meus, & Mater mea me dimiserunt in templo, statui in corde meo, habere Deum in patrem, ac frequenter cogitabam quid possem facere Deo gratum; ex quibus pater & quod parentes Virginis eam in templum induxerint, & quod ipsamet in templo habitans, totam se Deo dicaverit, & hæc unica fuerit ibi ejus occupatio, Deo inservire, Deum contemplari, Deum laudare, Deum amare.*

IV. Probatur. Levitici 27. Tam pro masculis, quem pro foeminis, Deo dicatis, & voto promissis, præceptum a Domino est, ut si voluissent illos redimere, numerum præfixum Siclorum Sacerdotibus persolvere tenerentur. Hæc autem redemptio fuit libera, quia liberum fuit voventibus, vel facere ut liberi eorum in templo Deo inservirent, vel eosdem, soluta annua pecunia, redimere. Quod quidem factum fuit in Samuele 1. Regum 1., qui Deo in templo a prima ætate ministravit, & Parentes nullum pro eo redemptionis pretium persolverunt. Igitur B. Virgo, quia promissa a parentibus Deo fuerat, eamisso voto in eorum sterilitate, ut probavimus, ut si illam obtinissent, in templo Deo obtulissent; utique fuit a parentibus in templum inducta, & Deo oblata, ut Deo inserviret, absque eo quod parentes ejus redemptionis pretium pro ea persolverent.

Dicimus III. Mariam Virginem, in templo præsentatam, in ædibus quidem, quæ circa templum erant, habitasse, non vero in Sancto Sanctorum; ibique per annos undecim vixisse, non ab Angelo, sub columbæ specie, pastam, quod non nisi mystice intelligendum est, si qui Authores illud dixerint, sed naturalibus, & usualibus cibis enutritam.

I. Probatur. Si quæ esset repugnantia, quod B. Virgo in templo non habitasset, esset potissimum quia in templo ædes non erant pro habitatione mulierum; sed erat in templo locus, ubi foeminae, quæ se Deo voverant, absque aliqua nota, vel

labe suspitionis, simul agerent: ergo nulla est repugnantia ut dicamus, B. Virginem per undecim annos in templo permansisse, ac habitasse. Probatur minor. Narrat Josephus lib. 8. antiquit. judaicarum cap. 2. fuisse in circuitu templi nonaginta cellas a Salamone constructas pro illorum habitatione, qui templo inservire debebant; quas quidem cellas restituit deinde Zorobabel, ut crueretur ex lib. 1. Estdæ cap. 3., & postmodum ampliori forma excitavit Herodes Rex, quod pariter testatur Josephus lib. 11. antiquit. judaicar. cap. 14., & lib. 6. de bello judaico cap. 6. Nec dicat Serry, cellas hæc fuisse pro majori parte destinadas ad rerum sacrarum custodiam, thesaurorum, vestium, suppellectilis, atque annonæ; & pro altera parte ad habitationem virorum, qui quotidie in templo ministrabant, Sacerdotum nempe, Levitarum, Cantorum, Janitorum, Cursorum, cæterorumque Adituorum. Ne dicat quidem, quia etiam cellarum nonaginta pars una fuisset pro asservatione rerum, altera pro habitatione virorum, tertia tamen fuit quoque pro habitatione mulierum, quæ in templo inserviebant, & separata ab hominibus habitabant, ut mox clarius ostendemus. Non est igitur cur dicat Serry, quod probandum erat Baronio, cellas illas fuisse destinadas habitationi, & commorationi puellarum, & seminarum Deo dicatarum: Immo potius dicimus nos, quod probandum est Serry, cellas illas omnes, numero quidem nonaginta, omnes destinadas fuisse asservationi rerum, & habitationi virorum; quum potius dicendum sit, ex illis quidem triginta fuisse deputatas pro asservatione rerum, triginta pro habitatione virorum, & triginta pro commoratione puellarum atque mulierum, quæ Deo erant dedicate; & quum triginta ex illis essent inferiores, triginta mediæ, triginta superiores, nulla poterat esse suspicio, ut viri cum mulieribus in habitatione miscerentur; quod tantopere Serry abhorreere demonstrat.

II. Probatur a Baronio exemplo Annæ Prophetissæ, Phanuelis Filia, de qua dicitur Lucæ 2. *Non discedebat de templo, jejuniis, & obsecrationibus, serviens die ac nocte.* Scimus quidem, Toletum, Jansenium, Maldonatum, putasse, Annam non discessisse de templo, non quod in templo habitaret, sed quod illud frequentaret, in eoque perduraret, uti etiamnum faciunt non-